

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Johannis Segeri Weidenfeld De Secretis Adeptorum Sive  
Usu Spiritus Vini Lulliani Libri IV**

**Weidenfeld, Johann S.**

**Londini, 1684**

99. Menstruum ex vitriolo ungarico Basilii

[urn:nbn:de:bsz:31-96282](#)

præstita est. Sed in extractione multò diligentiores fuerunt posteri, sumpserunt enim spiritum vitrioli ut supra correctum & illum de colcothare destillarunt octies vel decies igne fortissimo. Ità spiritus siccum humidis permiscebantur. Opus usserunt tamdiu, donec spiritus siccus exirent continenter & jugiter extra hendo. Postea utrumque spiritum tam humidum quam siccum in phialam conceptum unā ad suum terminum gradarunt. Hanc medicinam adversus morbos multò majoris operationis esse deprehenderunt, ut humoristas in universum omnes confunderent. Addita tamen est nonnulla correctio ab Artificiis per vinum sublimatum melioris penetrationis ergo, sed ea majoris gradus reddita non est. Sed communicabo vobis processum meum quem universis medicis commendo, cum primis ob caducum, quæ solam in vitriolo curam habet. Quia causa & nos eō diligentiorem in morbo curam instituere charitas proximi requirit. Processus autem meus est ut spiritus vini (*phil.*) à vitriolo imbibatur & posteā destilletur ut dixi à siccis & humidis spiritibus, &c.

Porro autem sciendum est, recepta prædicta de spiritu vitrioli humido faciendo clarius describi non posse. Requiritur enim ad intelligendum eum Artista. Sordidi illi coctores rem tanti momenti minimè intelligunt. Ab Artificiis (*Secretioris Chymiae*) Alchymistisque laboratoribus sufficientem omnium informationem expectabitis, sic etiam de correctione spiritus vini ab iisdem pleniū instruemini.

*De tali graduato non communi Vitriolo loquutus fuit Basilius in sua Elucidat. 12. Clavium. Ubi sequens consecit menstruum.*

## 99. Menstruum ex Vitriolo ungario Basiliī,

*In Elucid. 12. Clavium.*

**S**i tale altè graduatum & benè præparatum minerale obtinebis, Vitriolum appellatum, tum Deum de intelligentia & sapientia pro intentionis tuæ successu humillimè sollicita, &

L 1 2

cum

cum illud calcinaveris, immitte illud in retortam bene lutatam, destilla illud ab initio lento gradu, deinde ignem auge, & veniet spiritus albus Vitrioli in forma horridi fumi, vel venti, & intrat receptorum quamdiu aliquid ejusdem materia eidem interest. Et nota quod in hoc vento abscondita sint omnia tria principia, & convenient ex ista habitatione; idecirco necesse est non semper in pretiosis rebus scrutari, quia hoc medio proprietar via ad naturae mysteria patet, & obvia existit omnibus ad perciendam artem & sapientiam aptis. Jam si spiritum hunc expulsum bene ac pure separes ac liberes per modum destillationis à terrena humiditate sua, tunc in fundo vitri reperies thesaurum, & fundamenta omnium Philosophorum paucis hactenùs nota, quod est oleum rubrum tam ponderosum ac plumbum vel aurum, quocunque esse poterit, tam spissum ac sanguis, ardentis ac igneæ qualitatis, quod est verum fluidum aurum Philosophorum quod natura concessit à tribus principiis, in quo inveniuntur spiritus, anima & corpus, & istud est aurum philosophicum excepto eo (*vini phil. spiritu*) quo ejus peragitur dissolutio, &c.

*Vitriolo aliquando addidere Adepti cinabrium. Ita fit,*

## 100. Menstruum minerale Isaaci,

*Pag. 59. manus philos.*

Rc. **V**ITRIOLI Romani calcinati ad rubedinem & Cinabri ana; misce, his pulverisatis affunde Aquam vitæ, destilla & cohoba super caput mortuum ter vel quartus.

*Idem menstruum habet Lassius in magia naturali, sed loco capitis mortui in qualibet rectificatione recentes recipit species.*

101. Men-